

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM

DE

METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFIANA  
SPECIMEN I. ONTOLOGICVM.

§. I.

**V**T Controversiæ doctrinis Metaphysicis Virorum Celeberrimorum Leibnitii & Wolffii motæ intimius cognosci, atque pro usibus Eclecticis solidius dijudicari possint, Prolegomena Metaphysices h. e. indolem scientiæ, objectum, fundamentum, finem, primum considerare oportet.

§. II.

Metaphysica Wolffiana intra terminos Ontologiæ non continetur, *a)* sed Pneumatologiam ac Theologiam Naturalem *b)* &, quod plane ipsi est singulare, Cosmologiam transcendentalem *c)* præterea comprehendit.

*a)* Id quod neque ab omni usu alienum est, neque rationibus Prudentiæ Didacticæ destituitur. v. Jac. Thomasi Hist. Metaph. §. 58. Junkeri Lin. prim. Erud. in Hist. Metaph. & Stollii Hist. litterar. p. 466. sq.

*b)* Has pleraque Compendia & Systemata Metaphysices Scholastica complectuntur; quibus ex causis & erroribus, Thomasi docet lib. cit.

*c)* v. Ipsius Dn. Wolffii Commentatio de differentia nexus rerum scientiæ & fatalis necessitatis §. 2.

§. III.

De Theologiæ Naturalis, Pneumatologiæ & Cosmologiæ necessitate dubitare sapiens nequit; Ontologiæ autem necessitas atque realitas *a)* ex ipsis his Controversiis manifestissime elucescunt, dum illarum realissimarum scientiarum doctrinæ ex hac deduci, approbari vel improbari postulant: unde facili colligitur opera, reliquarum etiam scientiarum ultima fundamenta in Axiomatibus, &, quibus hæc constant, ideis universalibus h. e. Metaphysica strictius dicta, sive Ontologia esse quaerenda. *b)*

*a)* Ergo Metaphysica non est merum Lexicon Philosophicum.

*b)* v. Ratio Prælectionum Wolffianarum Sect. 2. Cap. 3. §. 61. & 66. conf. Verulamius de Augment. scient. lib. 3. c. 1.

§. IV.

Fines isti ut obtineantur, nominatas modo scientias summa

A

accu-